MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80298-5

AUTHOR:

WORMANN, FRANZ

TITLE:

... CAESARIS DE BELLO GALLICO ...

PLACE:

RECKLINGHAUSEN

DATE:

[1883]

Master Negative #

91-80298-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87C16
DW

Wörmann, Franz,
...Caesaris De bello Gallico commentarii breviter comparati cum Xenophontis Anabasi, von dem gymnasiallehrer Fr. Wörmann... Recklinghausen, druck von J. Bauer, [1883]
16 p. 25 cm.

At head of title: Programm des Gymnasiums zu Recklinghausen...1882-1883...

76442

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13 1/2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-30-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202








Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Wörmann
Caesaris de bello Gallico

PROGRAMM

des

Gymnasiums zu Recklinghausen.

LIII.

Schuljahr 1882—1883.

Herausgegeben

von dem

DIREKTOR DR. B. HÖLSCHER.



RECKLINGHAUSEN.

Druck von J. Bauer.

1883. Progr. Nr. 330.

Caesaris de bello Gallico

commentarii breviter comparati cum Xenophontis Anabasi.

Viris, qui Romae plurimum valuerunt auctoritate, sine controversia annumerandus est C. J. Caesar. Erant enim in eo omnes virtutes, quae in bono imperatore esse debent, quibus instructus tot tantasque res gessit, quot quantisque imperatores omnium aetatum, ne dicam superavit, certe adaequavit. Idem per complures annos rem publicam Romanorum tanta gessit sapientia, ut senatus ei, penes quem iam summa rerum esset, insigne regium vellet imponere. Quantum autem illum virum fuisse censemus, qui cum rei publicae muneribus non solum et dicendi et scribendi summam artem, sed etiam studium atque industriam conjunxerit! Hoc igitur litterarum studio factum est, ut Caesar, qui per totum fere vitae spatium patriae se dederet, inter bella graviter gerenda, rem publicam ordinandam aliaque negotia non modo bonas artes litterasque augeret, sed etiam ipse tantam operam navaret illis pacis artibus, ut Cicerone excepto nemo fere plus valeret. [1])

Trecentis fere annis ante in Graecia vir exstiterat, qui idem et rei publicae et litteris se daret, Xenophon Atheniensis. Qui quidem vir, si, quae scriptores veteres narrant, sequi licet, a natura forma speciosa atque egregiis animi praesidiis instructus corporis vires exercitationibus gymnicis militaribusque, ingenii vero facultates litterarum omniumque bonarum artium studiis habebat excultas, qua ex re illa virtus efflorescebat, quae apud Graecos *καλοκαγαθίας* nomine ornabatur. [2]) Ita formatus et institutus vitam suam neque in otio neque in rerum contemplatione consumpsit, sed omnem operam in eo collocavit, ut Socratis, magistri sui, exemplum sequeretur, ut domi militiaeque civibus suis maximae esset utilitati. Quae cum ita sint, non est, quod miremur, Engelio sic placuisse: „Xenophon hat immer auf einen nicht unbedeutenden Kreis ausgezeichneter Menschen eine zauberische Macht ausgeübt, und noch heute zieht er die Nachwelt oft auf eine wunderbare Weise an.“ [3])

---

[1]) Cic. Brut. 72, 252. — Plut. Caes. 3. — Suet. Caes. 55.

[2]) Creuzer. Die hist. Kunst der Griechen. p. 224. sqq. — Krüger. de Xen. vita quaest. crit. p. 6. sqq. — Kühner. Xen. op. om. vol. III. proleg. p. 3.

[3]) Xenophons politische Stellung und Wirksamkeit, p. 1. Stargard. 1853.

Neque vero Xenophon, quamquam ad patriae salutem usum et scientiam et studium suum contulit, par iudicari potest illis viris vel Graecis vel Romanis, qui in consiliis rerum maximarum ac totius administratione rei publicae praeclarissime sunt versati. Id solum commune habet cum Caesare, maximo Romanorum imperatore, quod et homo militaris erat et rerum scriptor. Atque ut Caecaris de bello Gallico commentarii inter Romana rerum gestarum monumenta maximis virtutibus excellunt, ita Xenophontis Anabasis, sive de Cyri minoris expeditione commentarii, omnium, quos de historia scripsit, librorum sine dubio primum obtinet locum. Illos igitur commentarios cum his breviter comparare mihi in animo est.

I.

Ac primum quidem — ut pauca proponam — in commentariis utriusque viri res tractantur, quarum scriptores ipsi non modo testes et spectatores, sed etiam socii fuerant, illo tantum discrimine interposito, quod Caesar omnium, de quibus mentionem facit, rerum gestarum summus fuerat dux, Xenophon initio militis gregarii et Cyro interfecto ducis munere erat functus. Tum uterque, quamquam suas res describit, in narrando non utitur prima persona, sed de se ut de aliena persona loquitur, ita ut scriptorum omnino obliti in rebus animum defigamus. Res denique ipsas, quae ab utroque narrantur, aptissimas esse ad erigendos atque alliciendos legentium animos, quis est, qui neget?

Caesaris enim commentarios iam ea de causa magna delectatione legimus, quod de regionibus gentibusque agitur, quae illo tempore minus notae iis potissimum curae sunt, qui vel Romanorum vel Gallorum historiam tractant. Nam primo commentariorum libro exponitur, quomodo Romanorum virtute et arte militari victoriae sint reportatae ab Helvetiis Germanisque, populis ferocissimis atque fortissimis, quorum alter, ut sibi sedes novas quaereret, in Galliam irrumpere paraverat, alter a Sequanis contra Haeduos auxilio vocatus, parte Galliae occupata, novas semper copias traducebat Rhenum. Quibus populis superatis Galli cum intellexissent, sese libertatem amissuros esse, si exercitum populi Romani hiemare in Gallia atque inveterascere [1]) paterentur, bellum ex bello gerere coeperunt, ut, cum alia pars maximis cladibus acceptis viribusque exhaustis pacata videretur, rursus alia arma caperet. Caesar autem, qui ipse omnibus rebus gravioribus praeerat, modo in hac, modo in alia Galliae parte versatus, saepe summo cum periculo sui, neque unquam sua culpa rem male gessit; atque adeo in Germaniam et Britanniam terrorem nominis Romani intulit. [2]) Postremo omnes fere Galliae nationes, quae

[1]) de bel. Gal. com. II. 1.
[2]) ibid. II.—VI.

libertatis amore inflammatae, cum interire quam Romanorum imperia perferre mallent, cum singulas exercitibus Romanis pares esse non posse eventu doctae essent, conjuratione inita uno tempore jugum excutere conatae erant, compluribus proeliis devictas in deditionem populi Romani redegit. [1])

Idem in exponendis rebus tanta cum gloria gestis „lectores suos per silvas, paludes, loca deserta ducit, barbarorum immensam multitudinem, virtutem, libertatis amorem, dolos iis ostendit; eos castra, acies, loca pugnarum spectare jubet.“ [2])

Magna profecto exspectatione legentium animos suspendit Caesar, neque minorem voluptatem parat Xenophon. Ut omittam priorem Anabasis partem, qua, quomodo Cyrus minor exercitum collegerit, usque ad Cunaxa duxerit, ipse fortissime pugnans sit interfectus, [3]) plane et dilucide describitur, alteram partem brevi in conspectu ponam, praesertim cum Xenophontis virtutes tum demum clarissime exsplendescant. Ipse enim Cyro occiso ceterisque ducibus perfidia Tissaphernis trucidatis dux creatus praeerat Graecis omni malorum genere oppressis; perferebat cum militibus summas regionum iniquitates, famem et sitim, alias molestias aerumnasque; dabat in fugam innumerabiles hostes, qui agmen persequebantur. Tandem Graecos post tot tantaque pericula mare spectantes et gaudio commotos lacrimas effundentes videmus. [4]) Accedit, quod Xenophon non minus jucunde et dilucide regiones, mores gentium, acies formasque pugnarum describit, quam Caesar, quibus omnibus rebus legentium animi magna voluptate ac delectatione afficiuntur.

Ea autem, quae post Graecorum ad Pontum Euxinum adventum narrantur, [5]) cum ipsa expeditionis historia non arte cohaerere, negari quidem non potest. Sed cum Graecorum exercitui ad mare perducto non quieta vitae condicio contigisset, desiderio quodam tenemur comperiendi, quae pericula post illum adventum fuerint subeunda. Quorum narratio, etsi tenuitate quadam laborat, tamen insertis variis digressionibus [6]) additur tanta arte, ut totius operis partes aequabilitate quadam inter se contineri Creuzerus iure confirmet. [7])

Sed ut ad rem ipsam veniamus: commentarii et Caesaris et Xenophontis quamquam non omnibus partibus inter se compares sunt, tamen eo consentiunt, quod res gestae, regiones, populi ita describuntur, ut animi legentium alliciantur et delectentur. Quam voluptatem aliquanto augeri sentiemus, si utriusque viri genus scribendi accuratius consideraverimus.

[1]) ibid. VII.
[2]) Seck. de C. J. Caesaris commentariorum fide. part. I. p. 7. Essen 1860.
[3]) Anab. I.
[4]) ibid. II.—IV.
[5]) ibid. V.—VII.
[6]) ibid. V. 3. 7. sqq. — VI. 1. 5,—VII. 3. 15.
[7]) l. c. p. 231.

II.

Caesaris orationi et scribendi generi ab aequalibus laudem maximam scimus tributam esse. Cicero enim, prudens illius commentariorum judex, dicit: „Etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum. Valde quidem, inquam, probandos: nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta .... Nihil est enim in historia pura et illustri brevitate dulcius.“ [1]) Quanta deinde laude Hirtius effert Caesaris commentarios dicens: „Constat enim inter omnes, nihil tam operose ab aliis esse perfectum, quod non horum elegantia commentariorum superetur .... Erat autem in Caesare cum facultas atque elegantia summa scribendi, tum verissima scientia suorum consiliorum explicandorum.“ [2])

Ex his iudiciis, quibus alia multa possum addere, facile patebit, quale sit Caesaris scribendi genus. Nam si tria genera dicendi discernimus, tenue, quod simplex quoque et nudum vocatur, plenum sive grave, medium, quod ex utroque est temperatum: illius imprimis est nudum et simplex, ita ut verborum copia, qua voluptas atque admiratio iniciantur, diligenter vitetur. Haec autem simplicitas non est ea, cui ornatus omnino desit, sed ea, qua possit cognosci, Caesarem orationis ornamenta non ignorare, sed ea contemnere, propterea quod effusiore verborum cultu orationem facile transire in inanem tumorem bene intellegit. Ac si quando Caesar latius loqui et dicendi quasi luminibus orationem ornare videtur, nihil tamen dissoluti, sed iucunditatem potius inaffectatam cognoscas, quam nulla affectatio possit consequi. Tum commentarios legentem fugere non potest, scriptorem semper uti verbis usitatis eaque ita collocare, ut ea, quae significari ac declarari voluit, revera significet ac declaret. Recta enim loquendi consuetudo ei plane nota erat, praesertim cum vir magni ingenii esset atque ab ineunte adolescentia usque ad vitae finem litteris summo studio vacaret. [3]) Hoc igitur studio, quod etiam ex scriptis eius agnoscimus, effectum esse putamus, ut cum rerum imaginem, quam ipse proposuit, facile concipiamus, tum magnopere admiremur elegantiam ac maiestatem, qua nonnunquam orationem suam affecit. [4])

---

[1]) Brut. 75. 262.

[2]) de bel. Gal. com. VIII. praef.

[3]) Cic. Phil. II. 45. — Brut. 72. 252. — de bel. Gal. com. VIII. praef.

[4]) Cic. Brut. 75. 261. — Fronto epist. p. 123 Nab. — Quint. de inst. orat. X. 2. 25.
E multis exemplis, quibus nos recte disputasse de Caesaris genere scribendi demonstretur, unum affere liceat: „Magnam calamitatem pulsos accepisse, omnem nobilitatem, omnem senatum, omnem equitatum amisisse .... Hominem esse barbarum, iracundum, temerarium: non posse eius imperia diutius sustineri. Nisi si quid in Caesare populoque Romano sit auxilii, omnibus Gallis idem esse faciundum, quod Helvetii fecerint, ut domo emigrent, aliud domicilium, alias sedes, remotas a Germanis, petant fortunamque, quaecunque accidat, experiantur.“ de bel. Gal. com. I. 31.

Satis igitur constare mihi videtur, Caesaris orationem excellere simplicitate, perspicuitate, elegantia, quibus virtutibus instructus ille summis omnium aetatum scriptoribus iure annumeratus est. [1])

Idem fere iudicium facere nobis licet de Xenophonte. Qui vir, quamquam non splendet copia illa atque ubertate, qua Herodotus insignis est, neque ingenii altitudine animique gravitate, qua Thucydides unus omnium maxime floret, tamen mentis sanitate iudiciique elegantia valet multum. Itaque recte de Xenophontis genere scribendi disputasse videntur scriptores veteres, [2]) quorum verba Kühnerus hoc modo composuit: „Sonus, inquit, quo usus est, lenis est et mollis; oratio subtilis, limata, simplex, sed non sine nervis ac sanguine, pressa, sed dilucida rebusque apta, non fuco illita, sed nativa suavitate ac venustate commendata, luminibus figurisque dicendi abstinens, leniter et aequabiliter profluens, ad decentiam composita omnibusque Attici sermonis leporibus et veneribus condita.“ [3]) Idem alio loco confirmat: „Oratio non captat flores ac lumina dicendi, sed nativa simplicitate, sed inaffectata suavitate, sed aequabili lenitate ita se commendat, ut legentium animi admirabili quadam delectatione alliciantur atque retineantur.“ [4])

Nonne easdem laudes supra Caesari tribuimus? Ac profecto, quas orationis virtutes in Caesaris commentariis invenimus, easdem fere in Xenophontis Anabasi admiramur. Ab utroque enim scriptore res gestae, terrae, itinerum difficultates, formae pugnarum, mores gentium, omnia tam plane ac perspicue describuntur, ut quasi oculis nostris subiecta intueamur; [5]) utriusque orationes, quarum Xenophontis maximam partem directae, Caesaris obliquae sunt, naturali quadam simplicitate ac perspicuitate excellunt. Illud autem, quod Quintilianus de Caesare praedicat „tantam in eo vim inesse, id cacumen, eam concitationem, ut illum eodem animo dixisse, quo bellaverit, appareat,“ [6]) in Xenophontem transferri non potest. Contra

---

[1]) Plutarchus, Caesarem summam artis dicendi vim assecutum non esse, hoc modo comprobat: „Λέγεται δὲ καὶ φῦναι πρὸς λόγους πολιτικοὺς ὁ Καῖσαρ ἄριστα, καὶ διαπονῆσαι φιλοτιμότατα τὴν φύσιν, ὡς τὰ δευτερεῖα μὲν ἀδηρίτως ἔχειν, τὸ δὲ πρωτεῖον, ὅπως τῇ δυνάμει καὶ τοῖς ὅπλοις πρῶτος εἴη μᾶλλον, ἄλλοις ἀσχοληθεὶς ὑφεῖναι, πρὸς ὅπερ ἡ φύσις ὑφηγεῖτο· τῆς ἐν τῷ λέγειν δεινότητος, ὑπὸ στρατειῶν καὶ πολιτείας, ᾗ κατεκτήσατο τὴν ἡγεμονίαν, οὐκ ἐξικόμενος.“ Caes. 3.

[2]) Cic. de orat. II. 14. 58. — Brut. 35. 132. — Plut. Artax. 8.

[3]) l. c. p. 9.

[4]) l. c. p. 11.

[5]) Quam perspicua et rebus apta — ut exemplo utar — compositio verborum est, quae Xenophon nuntium cursu exanimatum dicentem facit: „ἔστι χωρίον χρημάτων πολλῶν μεστόν· τοῦτο οὔτε λαβεῖν δυνάμεθα· ἰσχυρὸν γάρ ἐστιν· οὔτε ἀπελθεῖν ῥᾴδιον· μάχονται γὰρ ἐπεξεληλυθότες καὶ ἡ ἄφοδος χαλεπή.“ Anab. V. 2. 7. — Adde, quae Dionys. Halic. de Xenophonte iudicat; „καθαρὸς μὲν τοῖς ὀνόμασιν ἱκανῶς, καὶ σαφής, καθάπερ ἐκεῖνος (Ἡρόδοτος)· ἐκλέγει δ᾽ ὀνόματα συνήθη τε καὶ προσφυῆ τοῖς πράγμασι, καὶ συντίθησιν αὐτὰ ἡδέως πάνυ καὶ κεχαρισμένως.“ op. om. vol. VI. p. 778.

[6]) l. c. X. 1. 114.

huius magis admiramur iucunditatem ac suavitatem, quae tanta est, ut iam antiquitus apis Atticae nomine sit ornatus, quippe qui apis sedulae instar dicendi flores decerpserit summaque elegantia in usum suum converterit. Neque iniuria Xenophontis sermonem melle dulciorem [1]) eiusque voce Musas quasi locutas esse [2]) scriptores veteres videntur dixisse. [3])

III.

Iam vero si consilium, quod uterque scriptor secutus est, examinamus, aliud fuit Caesaris, aliud Xenophontis. Quae res ut intellegatur, paulo longius nobis repetendum est.

Caesaris vitam universam intuentem fugere non potest, eum maxima regnandi cupiditate inflammatum mature dominationis imperii Romani occupandae consilium cepisse. Cuius rei testes locupletissimos adhibemus Ciceronem et Suetonium, quorum alter dicit: „Multos annos regnare meditatus magno labore, magnis periculis, quod cogitaverat, effecerat: muneribus, monumentis, congiariis, epulis multitudinem imperitam lenierat, suos praemiis, adversarios clementiae spe devinxerat.“ [4]) Alter autem affirmat: „Quidam putant, captum imperii consuetudine pensitatisque suis et inimicorum viribus, usum occasione rapiendae dominationis, quam aetate prima concupisset.“ [5]) Bellis quoque contra Gallos, Germanos, Britannos gerendis nihil aliud petivit, nisi ut gloriam suam atque auctoritatem augeret. [6]) Atque Caesarem commentariis, quibus illa bella magna cum perspicuitate ac gravitate narrantur, editis suam causam defendere et sustentare voluisse, haud difficile est ad intellegendum.

Illud, quod statuimus, consilium non alienum fuisse a Caesaris consuetudine et moribus, ex eo conicias, quod alios quoque libros scripsit, quibus eum idem consilium secutum esse constat, libros dico contra Catonem. Laudes enim huius viri, acerrimi Caesaris adversarii, qui

---

[1]) Cic. orat. IX. 32.

[2]) Cic. orat. XIX. 62.

[3]) Paulo iniquius iudicat Dionys. Halic., qui quidem Xenophontis formam elocutionis similem Herodoto esse confirmat, attamen hunc praefert ob maiorem orationis granditatem dicens: „ὕψος δὲ καὶ κάλλος καὶ μεγαλοπρέπειαν καὶ τὸ λεγόμενον ἰδίως πλάσμα ἱστορικὸν (ὥσπερ) Ἡρόδοτος (οὐκ) ἔχει. Οὐ γὰρ μόνον οὐκ ἴσχυσε τοῦτο παρ' αὐτοῦ λαβεῖν, ἀλλὰ κἄν ποτε διεγεῖραι βουληθείη τὴν φράσιν, ὀλίγον ἐμπνεύσας, ὥσπερ ἀπόγειος αὔρα, ταχέως σβέννυται. Μακρότερος γὰρ γίνεται τοῦ δέοντος ἐν πολλοῖς καὶ τοῦ πρέποντος, καὶ οὐχ, ὡς Ἡρόδοτος, ἐφάπτεται τῶν προσώπων εὐτυχῶς, ἀλλ' ἐν πολλοῖς ὀλίγωρός ἐστιν, ἄν τις ὀρθῶς σκοπῇ.“ l. c. p. 779.

[4]) Phil. II. 45. 116.

[5]) Suet. Caes. 30; — addit haec: „quod existimasse videbatur et Cicero, scribens, de officiis, tertio libro, semper Caesarem in ore habuisse Euripidis versus, quos sic ipse convertit:
Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

[6]) Sall. Cat. 54. — Plut. Pomp. 51. — Suet. Caes. 22.

in libertate rei publicae defendenda per totam vitam occupatus, post cladem Pompeianorum in Africa acceptam sibi ipse mortem consciverat, scribere ausus erat Cicero. Caesar vero, Catonem a Cicerone coelo aequatum esse, [1]) moleste tulit, praesertim cum illis laudibus tecta quaedam vituperatio ipsius contineretur. Itaque libris, qui Anticatones appellari solent, Catoni obtrectavit dicens, id quod eo spectabat, ut suam causam sustentaret, inimici auctoritatem famamque apud Romanos plane everteret, se in eius vita et publica et privata nihil reperisse, quod laude dignum esset. [2])

Nunc ad ipsum propositum vertamur. Similis ratio atque librorum contra Catonem de bello Gallico commentariorum est. Nam Caesar, cum bellare a senatu iussus non esset, quam ob rem adversarii eum obiurgaverant, quod contra leges et instituta suscepisset bella, [3]) primum commentariis scribendis magnam dedit operam, ut se defenderet, ut senatus populique Romani voluntatem ad sua studia perduceret. Quod ut efficeret, res a se gestas describere studebat, quasi ab illis gentibus esset irritatus, ut populo Romano indignum fuisset, arrogantiae hostium cedere. [4])

Aliud, quod Caesar commentariis scribendis secutus est, cum illo consilio, quod posuimus, arte cohaeret. Intellegens enim, earum rerum, quas sibi proposuerat, multo graviorem et difficiliorem partem esse reliquam, eoque iam rem esse deductam, ut nisi vi armorum id, quod volebat, assequi non posset: omnibus rebus contendit, ut amicis suis animum adderet, dubitantes confirmaret, adversariorum consilia turbaret.

Multi quidem etiamtum erant, qui Caesari faverent, cum omnes, qui antea a Marianis steterant, tum ii, qui ab illo beneficiis magnis erant alligati. Sed hi, quorum nonnulli, cum adversarii omnia terrore et metu complevissent, Caesaris partes palam sequi non auderent, monendi erant, ne animis deficerent neve de re sua desperarent. Praeterea multitudo erat, quae magna consilii inopia affecta exspectandum esse arbitraretur, donec altera factio, cuius princeps erat Pompeius, maiorem victoriae spem praebuisset. Quos ut ad suas partes traheret, si commentariis perlectis de ipso magnam opinionem cepissent, se effecturum esse sperabat. Quid denique dicam de consiliis factisque eorum, quorum animi omnino alienati erant a Caesare? Cuius de re publica merita ita non probabant, ut rumoribus falsis de acceptis in Gallia cladibus dispersis famam eius opprimere molirentur. [5]) Eius modi rumoribus latius vulgatis ne Romani fidem tribuerent, Caesari summopere erat prospiciendum.

---

[1]) Tacit. an. IV. 34.

[2]) Plut. Caes. 54. — Cato min. 36. 52. 54. — Plin. Ep. III. 12. — Suet. Caes. 56.

[3]) Suet. (Caes. 24.) sic statuit: „ut senatus quondam legatos ad explorandum statum Galliarum mittendos decreverit, ac nonnulli dedendum eum hostibus censuerint.“

[4]) de bel. Gal. com. I. 2—12, 30—46, — III. 9, — IV. 13.

[5]) Cic. ad fam. VIII. 1. 4.

Accedit, quod Pompeius, qui quidem diu neque adduci potuerat, ut, quid fieri vellet, aperte indicaret, neque quidquam fecerat, quo Caesarem laederet, [1]) tum autem valetudinis specie Roma relicta in Campaniam se contulerat atque ad senatum miserat epistolam, qua Caesar gravissime offenderetur. [2]) Namque hac epistola exponit Pompeius, quae et ipse et Caesar pro re publica fecerint, demonstrat, Caesarem sibi parem iudicari non posse atque ea re cogit, ut ita dicam, senatum disceptare, uter utri praeferendus sit. Caesar autem, ut has res, de quibus per amicos certior erat factus, aequo animo pateretur, fieri non potuit. Immo vero ut rationes Pompeii conturbaret, ut omnium oculos animosque magis ad se converteret, ut neminem summa laude ac fiducia senatus populique Romani digniorem esse, quam ipsum, civibus persuaderet, maxima cum diligentia nitebatur. Quare res a se gestas, quibus ingenium suum invictum et ars militaris maxima spectantur, tam diserte exposuit, ut ipse non solum Pompeio par appareret, sed etiam, id quod maxime egerat, quasi alter Marius omnibus aetatis suae imperatoribus anteferretur atque in summum populi favorem perveniret.

At sunt, qui id, quod statuimus, reiciant, propterea quod aliter de illis commentariis iudicarunt Cicero et Hirtius. Alter enim eorum scribit: „Dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere; sanos quidem homines a scribendo deterruit.“ [3]) Alter idem fere affirmat: „Commentarii sunt editi, ne scientia tantarum rerum scriptoribus deesset; adeoque probantur omnium iudicio, ut praerepta, non praebita facultas scriptoribus videatur.“ [4])

His autem iudiciis non assentior. Nam Hirtium non magnam auctoritatem habere, inter viros doctos satis constat. Neque Ciceronis iudicio multum est tribuendum, quia, quo tempore omnes fere adversarios Caesar devicerat, Brutum edidit. Veritus igitur, ne, si quid, quo virum, penes quem summa rerum esset, offenderet, scripsisset, magnum in periculum veniret, non tam Caesaris consilium, quam orationis genus respexit. Atque Ciceronem in Caesaris scriptis diiudicandis dixisse, quae illi grata essent, ex eo intellegas, quod, quamquam amicus erat Catonis, tamen libros, quibus Caesar illius virtutes detrectare studuerat, — ut supra demonstravimus — vehementer probavit. [5]) Ita cum res se habeat, etsi Caesarem in scribendo et id spectasse, ut memoriae posteritatis consuleret, non nego, tamen, ut Ciceronis de commentariis sententiam

[1]) Cic. ad fam. VIII. 8. 3.

[2]) Rem Appianus refert (de bel. civ. II. 28): „Ὁ δὲ Πομπήιος, νοσηλευόμενος περὶ τὴν Ἰταλίαν, ἐπέστελλε τῇ βουλῇ σὺν τέχνῃ· τά τε ἔργα τοῦ Καίσαρος ἐπαινῶν, καὶ τὰ ἴδια ἐξ ἀρχῆς καταλέγων, ὅτι τε τρίτης ὑπατείας, καὶ ἐθνῶν τῶν ἐπ᾿ αὐτῇ καὶ στρατοῦ δοθέντος, οὐ μετιών, ἀλλ᾿ ἐς θεραπείαν τῆς πόλεως ἐπικληθεὶς, ἀξιωθείη· ἃ δὲ ἄκων, ἔφη, λαβεῖν ἑκὼν ἀποθήσομαι τοῖς ἀπολαβεῖν θέλουσιν, οὐκ ἀναμένων τοὺς χρόνους τοὺς ὡρισμένους. Ἡ μὲν τέχνη τῶν γεγραμμένων εἶχεν εὐπρέπειάν τε τῷ Πομπηίῳ καὶ ἐρέθισμα κατὰ τοῦ Καίσαρος.“

[3]) Brut. 75. 262.

[4]) de bel. Gal. com. VIII. praef.

[5]) Cic. ad Att. XIII. 50.

amplectar, impetrare a me non possum. Immo prorsus recte mihi statuisse videntur illi viri, qui dixerunt, Caesarem commentarios quasi luculentissimos meritorum suorum testes existimationis suae tuendae populoque commendandae causa edidisse. [1])

Venio nunc ad Xenophontem, cuius Anabasis longe alio spectat, atque Caesaris commentarii. Dubitari quidem non potest, quin Xenophon perscribenda expeditione Cyri minoris, quo interfecto Graecorum exercitum inter difficultates gravissimas salvum atque incolumem in patriam reduxerat, quod factum non solum antiquitus, sed etiam nostra memoria eximium quoddam virtutis ac consilii exemplum amplissimis laudibus elatum est, sui ipsius atque artis suae imperatoriae momentum posteritati relinquere voluerit. Sed cum non gloria sit ductus, verum omnia consilia factaque ad utilitatem vitae direxerit — id quod in exordio huius commentationis diximus — eum in libris quoque a se scriptis aliud ac gloriam secutum esse iusto iure censemus. Ac profecto multi et docti viri in hanc sententiam ducti sunt, ut existiment, Xenophontem omne studium, quo in libris scribendis sit usus, ad rei publicae salutem promovendam, ad civium suorum utilitatem augendam, ad hominum mores corrigendos contulisse. [2])

Quod studium ne in Anabasi quidem scribenda dimissum esse, acrius intuenti obscurum esse non potest. Nam primum ex ea re, qua commotus Xenophon Cyrum, Graecorum amicum, qui Artaxerxi, acerrimo Graecorum inimico, bellum inferebat, comitatus est, apparere videtur, illum nihil aliud petisse, nisi ut se maximo patriae amore induci demonstraret civesque suos pari amore imbueret. Tum eum amore flagravisse civium suorum eorumque utilitati ac felicitati servisse, inde elucet, quod rebus male gestis exiguam Graecorum manum per terras incognitas, partim incultas, partim a gentibus bellicosis ac ferocibus habitatas, tanta cum cura ac diligentia in patriam perduxit, ut totus exercitus omnem suam salutem in uno Xenophonte positam esse existimaret. Denique Anabasi edita homines, qui illo tempore luxuria corrupti erant, ut mores suos mutarent atque ad virtutem redirent, effici potuit, propterea quod scriptor, contemplans hominum et virtutes et vitia, haec verbis gravissimis notat, illas collaudat atque imitandas proponit. [3])

Hoc loco non alienum videtur, paucis occurrere iis, qui Xenophontem, quod Lacedaemoniorum civitatem, mores, instituta summis laudibus extulerit, ab Atheniensibus vero mentem habuerit abalienatam, vituperare solent. — Nonne illis temporibus in re publica Atheniensium morum disciplina prorsus dissoluta erat, ita ut omnis civitas mollissima puerorum educatione civiumque luxuria, intemperantia, temeritate fracta atque debilitata iaceret? Contra apud Lacedaemonios vigebant morum simplicitas, constantia, fortitudo. Quas virtutes admirans Xeno-

[1]) Drumann. Gesch. Roms III. p. 393. — Teuffel. Gesch. d. Röm. Litteratur. p. 364.

[2]) Ranke. de Xen. vita et scriptis, p. 17. — Lindemann. Über die religiös-sittliche Lebensansicht des Xen. p. 14.

[3]) Anab. I. 9, — II. 6.

phon omnem Graecarum civitatum salutem, imprimis Atheniensium a Lacedaemoniorum disciplina repetendam esse putabat. Ad id studium, quod ei commune erat cum multis atque optimis viris, non inopia patriae amoris, sed amore ipso ductum esse, ex aliis quoque libris, quos de illa ipsa re scripsit, colligas. [1])

Reperiuntur porro, qui Xenophonti, quod cum Agesilao, Lacedaemoniorum rege, amicitia intima coniunctus in pugna apud Coroneam facta contra Athenienses dimicaverit, patriae amorem denegare velint. Ipsum quidem hoc factum probari non potest; sed si diligentius expendimus, excusemus licet, quod Xenophon non tam hostis in cives suos, quam adversarius in eos pugnavit, quorum auxilio ex patria erat expulsus, quibus devictis salutem civium suorum exspectabat. Denique eum ab amore patriae suae omnino non retractum esse, inde apparere mihi videtur, quod, cum Athenienses Lacedaemoniis, bello Thebano implicatis, auxilium ferre decrevissent, filios suos Athenas misit, quorum alter in pugna apud Mantineam commissa fortissime dimicans occisus est.

Iam redeat disputatio, unde digressa est. Si ea, quae de consilio utriusque scriptoris exposuimus, complexi erimus, ad id, quod supra diximus, revertemur, aliud voluisse Caesarem, aliud Xenophontem. Sed quamquam multum interest inter Caesaris et Xenophontis studia, tamen id, quod iis fieri solet, qui sua facta describunt, ut efferendis suis laudibus legentium animos taedio afficiant, neutri viro evenit. Immo uterque omni vehementiore animi impetu liber sapientia ac moderatione est usus. Cuius rei testes afferre liceat Teuffelium et Kühnerum, quorum alter dicit: „Ohne je in Prahlerei zu verfallen oder auch nur den Schein der Objectivität aufzugeben, weiſs Caesar seine Person aufs trefflichste ins Licht zu stellen.“ [2]) Alterius verba haec sunt: „Res a Xenophonte ita narrantur, ut ex rebus ipsis laus sponte effloresceat et ad auctorem redundet.“ [3])

IV.

Restat, ut breviter attingamus et commentariorum et Anabasis fidem. — Ac primum quidem, si, quae scriptores veteres de vita atque indole et Caesaris et Xenophontis memoriae tradiderunt, contulerimus, dubium non erit, quin uterque vir vera narrare potuerit. Erant enim in Caesare tantum ingenium ac tanta mentis sagacitas, ut omnium et hominum et rerum naturam rectissime perspiceret. Atque cum in rebus domi bellique gerendis diu multumque esset versatus, fieri non potuit, quin, quae aliis gravia viderentur et singularia, levia esse putaret et cotidiana.

[1]) Engel. l. c. p. 7. sqq.
[2]) Teuffel. l. c. p. 367.
[3]) Kühner. l. c. p. 15.

Ut taceam, Xenophontem neque ea sagacitate esse instructum, qua reconditas vel philosophiae vel historiae quaestiones cum subtilitate ac severitate perquirere posset, et superstitione quadam laborasse, unde factum est, ut, ubi rerum causas non intellegat, praesentem deorum vim admittere soleat: [1]) tamen ad vera cognoscenda atque perspicienda iisdem fere ac Caesar et naturae et doctrinae praesidiis munitus erat.

Deinde uterque ea, quae narrat, non tantum audiverat, sed coram viderat, non solum interfuerat iis, sed praefuerat, ut illud iudicium, quod Platenius de Caesare tulit, „eum ab excelso quasi, quem teneret, loco, qua ratione inter se res continerentur, quae causae, qui eventus essent, quae in luce collocanda, quae adumbranda, facillime prospicere et diiudicare potuisse,“ [2]) de Xenophonte quoque fieri possit.

Sane quispiam dicat, — id quod in Xenophontem transferri non potest — Caesarem, per totam vitam tot tantisque rebus occupatum, cum commentarios non prius, quam bella fuerint finita, scripserit, [3]) mensuras itinerum, montium, fluminum, numeros captivorum et occisorum aliaque non sola memoria tenere potuisse. At multa eius generis vel a Caesare ipso, vel, id quod verisimilius est, ab aliquo scriba annotabantur; multa etiam referebantur a quaestore in publicas rationes. [4]) Res ipsas autem, quae gestae erant, Caesar accuratissime perscribere poterat, praesertim cum de iis saepius ad senatum retulisset [5]) et ad amicos inter ipsa bella misisset epistolas, quas constat editas esse. Neque dubitari potest, quin legati, si quid Caesare absente gesserant, ad eum perscripserint. Quibus litterarum praesidiis adiutum Caesarem etiam post longum tempus componere potuisse commentarios, quibus omnia verissime tradita sint, sponte apparet.

Quamvis igitur et Caesar et Xenophon vera narrare potuerint, num voluerint, quaerendum est. Quod spectans Xenophontem praeponam, quoniam vir proposito sanctior erat Caesare, quem una regnandi cupiditate atque gloria esse commotum, supra dixi. Atque illo studio existimationis suae tuendae fidem commentariorum dubiam reddi ac suspectam, non est, quod pluribus verbis confirmetur. An putas, — ut exemplo utar — Caesarem, quo loco causas belli cum Ariovisto gerendi exponit, [6]) longiorem, quam assolet, futurum fuisse ac diligentiorem, si causam habuisset manifestam, neque ei timendum fuisset, ne Ariovisto, qui a senatu rex atque amicus populi Romani esset appellatus, [7]) devicto in invidiam civium suorum veniret? Immo vero multum valet apud me auctoritas Petri Victorii, cuius verba haec sunt: „Servat

[1]) Anab. III. 1. 11. sqq.
[2]) De fide et auctoritate Caesaris de bel. Gal. commentariorum. p. 4. Liegnitz. 1854.
[3]) Nipperdey. quaest. Caes. p. 4.
[4]) ibid. p. 7.
[5]) de bel. Gal. com. II. 35, — IV. 38, — VII. 90.
[6]) ibid. I. 30. sqq.
[7]) ibid. I. 35.

hoc ipse Caesar in commentariis, ut, cum aut bellum nulla necessitate illatum a se ratione coeptum ostendere vult aut improbum aliquod factum aequum esse declarare, multis argumentis in ea re utatur." [1])

Accedit, quod „Asinius Pollio (commentarios) parum diligenter parumque integra veritate compositos putat, cum Caesar pleraque et quae per alios erant gesta, temere crediderit, et quae per se, vel consulto vel etiam memoria lapsus, perperam ediderit, existimatque rescripturum et correcturum fuisse." [2]) Hoc iudicio offensi sunt alii, qui putarent, Pollionem, hominem maledicentissimum, in scriptoribus diiudicandis parum aequum iudicem se praestitisse. [3]) Alii autem confirmarunt, Pollionem, qui quidem non alienus fuisset a malignitate ac morosa asperitate, tamen nisi veritate ductum non esse, ut illud iudicium ferret de Caesaris commentariis. [4]) Equidem vero ut Pollionis iudicium, quamvis cum ingenio et moribus Caesaris pugnare videatur, nihilominus maximi faciam, auctoritate adducor aliorum scriptorum, imprimis Appiani, Dionis Cassii, Plutarchi, Ciceronis, qui non solum Caesari plerumque minus fidei habeant, quam aliis eius aetatis scriptoribus, sed etiam nonnullis de rebus, quae in commentariis referuntur, a Caesare dissentiant.

Quae cum ita sint, si sententiam de fide et veritate Caesaris rogatus ero, totum me accommodabo ad arbitrium et nutum Schneideri, quo viro nemo fere subtilius de Caesaris ingenio et scriptis disputavit. Huius autem viri rationes hae sunt: „Origines et instituta populorum, situs locorum et eius generis reliqua diligenter et vere tradidit Caesar, cum pleraque eorum, quae ipse viderat, tam accurate tantaque perspicuitate exposita sint, ut fidelem visorum repraesentationem facile cognoscas, ea vero, quae percontationibus accepta refert, cum ipsius acumine ingenii, tum Taciti iudicio, qui eum his in rebus summum auctorem appellat, [5]) satis probata haberi debeant. Nec minore cum fide ac diligentia in suis consiliis explicandis, item in tradendis rerum gestarum atque eventuum summis, quae nec facile poterant adulterari, neque ut adulterarentur opus habebant, versatus videtur. — Sed de causis bellorum, quae omnia pariter iusta ac necessaria sibi fuisse demonstrat, de legatorum legionumque mirifica saepe virtute, de sua suorumque cum victis agendi ratione moderata illa atque humanitatis plena, denique de omnibus, quae ad famam opinionemque hominum tuendam pertinerent, incertum est, qua fide scripserit." [6])

---

[1]) Var. lect. III. 23.

[2]) Suet. Caes. 56.

[3]) I. Eckhard. de C. Asinio Pollione, iniquo optimorum latinitatis auctorum censore. Jenae. 1743.

[4]) Rud. Thorbeck. commentatio de C. Asinii Pollionis vita et studiis doctrinae. Lugd. Bat. 1820.

[5]) Tacit. Germ. 28.

[6]) Praef. ad Caes. de bel. Gal. com. p. 33. — Schneiderum, cuius iudicii prior

Xenophontis vero fidem ut vocem in dubium, animum inducere non possum, praesertim cum eximiam fuisse sciam eius morum innocentiam ac sanctitatem. Captus quidem fuerit gloria, ut suam personam in clara posuerit luce; captus superstitione quadam animi, qua nonnunquam sit impeditus, quominus rerum causas plane intellegeret; captus admiratione quorundam virorum, ut eorum virtutes maioribus celebraverit laudibus eorundemque vitia vel mitius aestimaverit vel praetermiserit silentio: [1]) attamen non est, cur eum inhonesto consilio ductum a vero deflexisse suspicemur. Quod quam verum sit, conicere possumus, et quod, si quando lapsus erat, errorem suum confiteri non dubitavit, [2]) et quod ne in iis quidem rebus, quae ad ipsum pertinebant, animi affectum secutus est. Consideremus modo, quanta animi moderatione mentio facta sit de foedissima illa perfidia atque caede ducum Graecorum, [3]) de incredibilibus miseriis periculisque summis, quibus exercitus Graecorum oppressus atque afflictus erat, [4]) de turpissima trecentorum Graecorum per Aristarchum venditione, [5]) de repentina Thynorum incursione, qua Xenophon in summum discrimen venerat. [6])

Qua de causa quamquam Ctesiam, Diodorum Siculum, Plutarchum nonnullis de rebus, quae sunt levissimae, a Xenophonte discrepare inveni, tamen Anabasim accurata lectione perscrutatus multum tribuo illis viris, qui sic statuerunt, ut dubitari non possit, quin Xenophon non modo potuerit vera narrare et voluerit, sed etiam vera narraverit.

Neque assentior iis, qui Xenophontis fidem infirmare studuerunt, quod acerbius iudicaret de Menone Thessalo, [7]) cui a Platone meliores mores tribuerentur. Primum enim quaeritur, utri illius mores magis cognoscere licuerit, Platoni an Xenophonti, qui et aequalis erat Menonis, et facta eius ipse viderat atque spectaverat. Deinde ex eo, quod Plato Menonem adolescentem fuisse amabilem dicit, non sequitur, ut ille ne vir quidem vitia turpissima commiserit. Denique

---

pars plurimis viris, qui de ea re iudicare poterant, probata est, cum alteram partem secuti sint alii, alii repudiaverint, etiam de causis bellorum ceterisque rebus recte disputasse, alio tempore nonnullis exemplis pro viribus nostris, si modo sunt, demonstrare sum conaturus.

[1]) Quo modo Xenophon excusandus sit, exponit Kühnerus his argumentis: „Quippe id proprium est omnium eorum, qui, ut Xenophon, magis ad aliorum consilia se componunt, quam suis ipsi utantur iudiciis, ut, quorum virorum admiratione capti teneantur, eis ita se dedere atque addicere soleant, ut, quae ab illis laudabiliter gesta sunt, illustriore quadam eis atque magnificentiore specie obiciantur, quae rursus illis adhaeserunt vitia, vel plane eorum aciem fugiant vel leviora, quam revera fuerunt, eis videantur. Ita fit, ut de aliis non minus quidem claris viris, sed quorum non pari studio ducantur, saepenumero iniquius iudicare videantur." l. c. p. 16.

[2]) Anab. III. 3. 12. seqq.

[3]) ibid. II. 5. 31—33.

[4]) ibid. IV. 5. 1—22.

[5]) ibid. VII. 2. 6.

[6]) ibid. VII. 4. 14—19.

[7]) ibid. II. 6. 21—29.

Menonem superbia, insolentia aliisque vitiis fuisse praeditum, ne Plato quidem negare potest. [1]) Ita si res se habet, — neque quin ita se habeat, dubitamus — tantum abest, ut vituperatis Menonis moribus Xenophon veritatem laeserit, ut magnum dederit testimonium suae innocentiae ac veritatis, quippe qui magni viri vitam turpissimam gravi oratione notare non dubitaverit. [2])

Si denique ea, quae de commentariis et Caesaris et Xenophontis disputavi, memoria repeto, venit mihi in mentem Ovidii de Nereidibus dicentis:

„Facies non omnibus una,
Nec diversa tamen,“ [3])

quae verba, alia sententia subiecta, in usum meum convertam. Caesaris enim commentariorum summa atque dicendi genus consentiunt quodammodo cum Xenophonte; at consilium, quod ille secutus est, et fides non sunt eadem, atque huius. Quamquam autem commentariorum fidem, quae omnino non est nulla, in dubium vocamus, quia Caesar illos libros scripsit eo consilio, ut civibus virtutes suas ostenderet atque famam suam tueretur, maiorem vero fidem esse censemus Anabasis, ad quam scribendam Xenophon ambitione non sit commotus: tamen, cum uterque scriptor libros ediderit eos, quorum et rebus et scribendi genere animi nostri erigantur atque alliciantur, perlegentes commentarios, Caesarem, Anabasim, Xenophontem eximia laude ornamus.

[1]) Kühner. l. c. p. 17. — Creuzer. l. c. p. 239.

[2]) Postremo docere possum, eos perperam iudicasse, qui Caesaris commentarios modo Suetonii, modo Celsi, Xenophontis Anabasim Themistogenis nomini addixerunt. Sed ne extra fines huic libello concessos prodeam, hanc rem omittam, quoniam inter omnes, qui doctrina valent plurimum, viros, et Caesarem commentarios et Xenophontem Anabasim scripsisse, satis constat.

[3]) Ovid. met. II. 13.

Die Handschriften des Heliand.

(Vergleiche des Verfassers Abhandlung über den Heliand in dem Gymnasialprogramm Recklinghausen 1851.)

Es giebt von dem altsächsischen Gedicht „der Heliand“ zwei alte Handschriften, wovon sich die eine in London befindet, die andere in München. Der Londoner Kodex war der zuerst bekannte. Im Jahre 1631 starb in England ein gewisser Robert Cotton und hinterliefs eine Bibliothek, die er als eifriger Freund der Wissenschaften, während bürgerliche Unruhen und Religionsverfolgungen das Land zerrütteten und Klosterbibliotheken und Kirchenarchive geplündert und verschleudert wurden, mit den wertvollsten Büchern und den seltensten Handschriften bereichert hatte. Später wurden die von ihm gesammelten und geretteten Schätze für die Westminsterbibliothek in London erworben und sind noch unter dem Namen bibliotheca Cottoniana eine Zierde derselben. Unter ihnen befindet sich der eine Kodex unseres altsächsischen Gedichtes. In einem Grofsoktav-Band stehen voran 8 mit Gold zierlich ausgelegte Bilder, etwa aus dem 12. Jahrhundert, welche Gegenstände aus dem Leben Christi darstellen und ursprünglich einem lateinischen Evangelienbuche angehört haben mögen; dann folgt das Manuskript der altsächsischen Evangelienharmonie (Heliand) in 71 Kapiteln auf Pergamentblättern, und am Schlusse ist ein in angelsächsischer Sprache abgefafster exorcismus ad reddendos agros fertiliores dazu gebunden.

Woher Cotton dieses Manuskript erhalten habe, davon giebt es weder von ihm selbst, noch von anderen Gelehrten irgend eine Andeutung. Schmeller ist zu glauben geneigt, dafs der Kodex im 9. Jahrhundert von einem Engländer geschrieben worden sei und zwar nach dem Gehör, indem ein anderer, vielleicht ein Altsachse, das Gedicht recitiert habe.

Der Cottonsche Kodex blieb jahrelang unbeachtet liegen, und niemand wufste davon. Die erste öffentliche Erwähnung desselben machte Hickes in einem grammatischen Werke über die angelsächsische Sprache, das er im Jahre 1689 in Oxford herausgab, und worin er einige Proben daraus mitteilte. Junius, ein Sohn des Junius, der den Cädmon (biblische Dichtung in angelsächsischer Sprache) herausgegeben hat, nahm darauf eine vollständige Abschrift von dem Kodex, ohne Zweifel in der Absicht, um sie abdrucken zu lassen. Er ist aber daran gehindert worden, und diese Abschrift liegt noch jetzt in der Oxfordschen Bibliothek.

Allmählich wurde es auch in Deutschland bekannt, dafs in England ein so wichtiges Denkmal altsächsischer Sprache und Dichtkunst vorhanden sei, und um 1755 beabsichtigte Klopstock, wie aus seinen Briefen an Gleim und Denis hervorgeht, von dieser altdeutschen Messiade eine Ausgabe und Übersetzung zu veranstalten, indem er hoffte, dafs er durch die Vermittlung des Königs von Dänemark entweder eine genaue Abschrift des Cottonschen Kodex oder sogar ihn selbst erhalten und einsehen könnte. Klopstocks Vorhaben ist aber nicht ausgeführt worden, und der altsächsische Dichter fing nach und nach an wieder in Vergessenheit zu geraten.

